& Filius eamdem ſubſtantiam habent, & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ab utroque procedens. Quum ergo Veritas pro fidelibus ſuis orat: Volo, (inquiens) ut ipſi unum ſint in nobis, ſicut nos unum ſumus: hoc nomen, unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia: pro Perſonis vero Divinis, ut accendatur identitas, atque in natura unitas. Quemadmodum Veritas alibi dicit: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: ac ſi dicat manifeſtius: eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt perfectione naturæ. Utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin major ſit inter eos diſſimilitudo notanda. Hæc verbatim habentur inſerta c. 1. & 2. de Sum. Trinit.

Can. III. *Damnati vero hæretici ſæcularibus Poteſtatibus præſentibus, aut eorum Ballivis relinquantur animadverſione debita puniendi: Clericis prius a ſuis Ordinibus degradatis; ita quod bona hujuſmodi damnatorum ſi laici fuerint, confiſcentur: ſi vero Clerici, applicentur Eccleſiis, a quibus ſtipendia perceperunt.* (Et aliquanto poſt:) *Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & ceteros Provinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere neglexerit intra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos: & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent: ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum apponat: eadem nihilominus lege ſervata circa eos, qui non habent dominos principales.* (Et aliquanto poſt:) *Quia vero nonnulli ſub ſpecie pietatis virtutem ejus, juxta quod ait Apoſtolus, abnegantes, auctoritatem ſibi vendicant prædicandi, cum idem Apoſtolus dicat: Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Omnes qui prohibiti, vel non miſſi præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publice vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur; & niſi quantocius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur.* Hæc omnia referuntur c. excommunicamus, de hæreticis.

Can. V. *Antiquæ Patriarchalium ſedium privilegia renovantes, ſacra univerſali Synodo approbante ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, utpote mater univerſorum Chriſti fidelium & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quartum locum obtineant, ſervata cuilibet propria dignitate. Ita quod poſtquam earum Antiſtites a Romano Pontifice acceperint Pallium, quod eſt plenitudinis officii Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ juramento licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem, Dominicæ vero crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in urbe Romana, & ubicumque Summus Pontifex extiterit præſens, vel ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis. In omnibus autem Provinciis eorum juriſdictioni ſubjectis, ad eas cum neceſſe fuerit, provocetur, ſalvis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis; quibus eſt ab omnibus deferendum.* Refertur c. antiqua de privileg.

13. Summis Pontificibus ſemper diſplicuit Græcorum ambitio, qui nulla ratione Nicænæ ſanctionis habita, Patriarchalem pro Conſtantinopolitano Epiſcopo dignitatem, poſthabitis eiſdem veteribus Patriarchis, ad æmulationem etiam primæ, quæ Romana eſt, Sedis affectarunt, prætextum ſumentes ab Imperiali reſidentia, ut ſic Imperatori adblandientes illum haberent ſuæ cauſſæ patronum. Et talem certe nacti ſunt Marcianum Auguſtum, qui hac de re ſic ad Leonem Pontificem ſcripſit: *Quoniam vero & hoc ſtatutum eſt, ut ea, quæ centum quinquaginta ſanctiſſimi Epiſcopi ſub Theodoſio majore de honore venerabilis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuerunt, & quæ nunc a ſancta Synodo de eadem re ſtatuta ſunt, firma ſerventur. Scilicet ut poſt Sedem Apoſtolicam Conſtantinopolitanæ urbis Antiſtes ſecundum obtineat locum, quoniam & eadem ſplendidiſſima civitas junior Romana nuncupabatur, dignetur ſanctitas tua etiam huic parti proprium adhibere conſenſum, quamvis Reverendiſſimi Epiſcopi, qui tuæ Religionis vicem agentes, ad ſanctam Synodum convenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili Eccleſia a Synodo aliqua ordinari.* Quæ vero Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus, ut ſe in Patriarcham, eumque (ſi ſuperius placet) ſupra ceteros Orientalium Eccleſiarum Patriarchas erigeret, de ſecunda œcumenica Synodo in ſuæ ambitionis præſidium ac defenſionem proferebat, nullatenus ei patrocinabantur, quatenus id præcedens decretum nullam habuerat a Damaſo, qui tunc univerſali Eccleſiæ præerat, approbationem, neque ullatenus fuerat ei ſignificatum ſive ab ipſa, quod neceſſarium fuiſſet, Synodo, ſive ab Apoſtolicæ Sedis, qui nulli miſſi fuerant, Legatis, ſed furtim a Græcis ſolis res ſancita fuiſſet. Potuit itaque Damaſus juſtam facti hujus prætendere ignorantiam, cur ambitioſo decreto non obſtitiſſet: & licet privatis reiterationibus rem adeo conſpicuam totoque Oriente pervulgatam accepiſſet; juſtam nihilominus diſſimulandi cauſſam habuit, ne ſua contradictio Græcos Latinorum, ut in illius hiſtoria Concilii refert Theodoritus, apertos æmulatores eo uſque irritaret, ut in ſchiſma, a quo non multum aberant, proſilirent. Itaque Leo Papa Anatolii ſuperbiam increpans hæc ad eum ſcribit: *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur, quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas, annos facta conſcriptio; nunquamque a prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti, eliciendo a fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam injuriam verecundia fatigata præberet.* Eamdem Antiſtitum, Regiæ urbis affectatam ſibique aſſertam præeminentiam, poſt Leonem reprobavit Nicolaus Papa I. in reſponſis ad Bulgaros; Capite enim 9. non alias admittit primarias Sedes, quam conſtitutas a Petro Apoſtolo, ſive per ſeipſum, ſive per diſcipulum ſuum Marcum, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam. Deinde c. 93. *Porro* (ait) *quis Patriarcharum ſecundus ſit a Romano conſulitis; ſed juxta quod Romana Sancta tenet Eccleſia, & Nicæni Canones innuunt, & ſancti Præſules Romanorum defendunt, Alexandrinus Patriarcharum a Romano Papa ſecundus eſt.*

Ad ultimum Innocentius, huic Laterano Concilio præſidens, primus Romanorum Pontificum dignitatem ſecundæ a Romana Sedis Conſtantinopolis Præſuli indulſit. Multis rationibus adductus, ſcilicet ut iſto beneficio Græcos hactenus nutantes in Eccleſiæ Romanæ unione demereretur, amoto præſertim defectionis a prima Sede periculo, quando ad Latinos recens tranſlatum erat Conſtantinopolis Imperium. Tum quia jam inde a multis ſæculis reliqui Orientis Patriarchæ Conſtantinopolitano ſponte ceſſerant, nec ſolum in Synodo œcumenica Chalcedone habita poſt Apoſtolicos Legatos Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus reliquos omnes præceſſerat, ſed in omnibus etiam ſubſequentibus œcumenicis habitis in Oriente Synodis ſucceſſores Anatolii jure iſto προεδρίας ac πρωτοκαθεδρίας abſque controverſia ſupra reliquos Orientis Patriarchas potiti fuerant.

15. Quod attinet ad Jeroſolymitanam Eccleſiam, origine quidem omnium Eccleſiarum matrem, non tamen dignitate, & quam Nicæna prima Synodus Cæſarienſi Metropolitæ ſubditam declaraverat, cœpit illa pleno jure Patriarchæ jam inde a Concilio Chalcedonenſi potiri, quod actione 8. Jeroſolymitanæ Eccleſiæ univerſam Palæſtinam in tres Provincias diſtributam ſubdidit. Interceſſit quidem Leo Papa Magnus, ne decretum iſtud executioni mandaretur, utpote Nicæno Canoni adverſans, epiſtola 92. alias 62. ad Maximum Antiochenum. Veruntamen idem Juvenalis Jeroſolymæ Epiſcopus, qui in Chalcedonenſibus Comitiis conſederat, paullo poſt univerſæ Palæſtinæ Synodum indixit, cui ipſe præſedit auctoritate Patriarchæ, primuſque ſubſcripſit. Secundo vero loco Irenæus Cæſareæ Paleſtinæ Metropolites, cum tamen in anterioribus Provincialibus Palæſtinæ Synodis præſidere primuſque ſubſcribere conſueviſſet Cæſarienſis. Id liquet ex Dioſpolitana Synodo, cui ſecundus a Cæſarienſi Præſule ſubſcripſit Joannes Jeroſolymitanus. Et in altera Synodo antiquiore Cæſareæ habita adverſus Quarta-decumanos præſedit Theophilus Cæſareenſis, eique Narciſſus Jeroſolymitanus aſſedit, ut teſtatum reliquit Euſebius lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 15. Synodus denique quinta œcumenica eadem jura Patriarchalia Jeroſolymorum Eccleſiæ confirmavit.

Can. VI. *Sicut olim a Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis ſuffraganeis, Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis, præſertim in Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum: Canonicas regulas, & maxime quæ ſtatuta ſunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant obſervari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per ſingulas Diœceſes ſtatuant idoneas perſonas, providas videlicet & honeſtas, quæ per totum annum ſimpliciter & de plano abſque ulla juriſdictione ſollicite inveſtigent, quæ correctione vel reformatione ſint digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & ſuffraganeos, & alios in Concilio ſub-*

ſequen-

ſequenti: ut ſuper his & aliis, prout utilitati & honeſtati congruerit, provida deliberatione procedant, & quæ ſtatuerint, faciant obſervari, publicantes eas in Epiſcopalibus Synodis annuatim, per ſingulas Diœceſes celebrandis. Quiſquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere, a ſuis beneficiis & executione officii ſuſpendatur, donec per Superioris arbitrium ſuſpenſio ejus relaxetur.

C. ſicut olim, de accuſationibus inquiſit. & denunc. De Synodis Provincialibus celebrandis, vide ſupra Nicæni Concilii primi can. 5. cum ibi notatis, & Concilium Trident. ſeſſ. 24. can. 2.

Can. VII. *Irrefragabili conſtitutione ſancimus, ut Eccleſiarum Prælati ad corrigendos ſubditorum exceſſus, maxime Clericorum, & reformandos mores prudenter & diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Ut autem correctionis & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut nulla executionem ipſorum conſuetudo vel appellatio valeat impedire; niſi formam exceſſerint in talibus obſervandam. Exceſſus tamen Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, qui conſueverunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſiis (quæ talem hactenus conſuetudinem habuerunt) ad commonitionem vel juſſionem Epiſcopi corrigantur, infra terminum competentem ab Epiſcopo præfigendum. Alioquin ex tunc Epiſcopus Deum habens præ oculis, omni contradictione ceſſante, ipſos prout cura animarum exegerit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat: ſed & alios eorum exceſſus corrigere non omittat, prout animarum cauſſa requirit, debito tamen ordine in omnibus obſervato. Ceterum ſi canonica abſque manifeſta & rationabili cauſſa, maxime in contemptum Epiſcopi, ceſſaverint a Divinis, Epiſcopus nihilominus, ſi voluerit, celebret in Eccleſia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipſius, tamquam ſuper hoc delegatus a nobis, taliter eos per cenſuram Eccleſiaſticam cognita veritate caſtiget, quod pœnæ metu talia de cetero non præſumant. Provideant itaque diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum ad quæſtum pecuniæ vel gravamen aliquod non convertant, ſed illud fideliter ac ſtudioſe exequantur, ſi Canonicam voluerint effugere ultionem: quoniam ſuper his Apoſtolica Sedes auctore Domino attentiſſime vigilabit.*

Refertur c. irrefragabili, de offic. jud. Ordin. Requirenda ſunt, quæ ſuperius uberrime congeſſi de poteſtate juriſdictionis, & correctionis Epiſcopalis erga utrumque Clerum, & præſertim Canonicos, ad canonem 6. Concilii Arelatenſis VI. ſub Carolo Magno anno 813. Quod vero conſtituunt Lateranenſes Patres initio hujus Canonis VII. de correctione morum, in qua modus non excedatur, nulla ſuſpendi appellatione ejus executionem, hoc ipſum antea proviſum ab Alexandro III. fuerat, cap. noſtram, de appellat. Idemque Gallicanis firmatur edictis Caroli Regis IX. anni 1571. artic. 5. & Comitiorum Blæſenſium ſub Henrico Rege III. art. 59.

Can. VIII. *Qualiter & quomodo debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritatibus Novi & Veteris Teſtamenti colligitur evidenter: ex quibus poſtea proceſſerunt Canonicæ Sanctiones, ſicut olim aperte diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Et in Geneſi Dominus ait: Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Ex quibus auctoritatibus manifeſte comprobatur, quod non ſolum quum ſubditus, verum etiam quum Prælatus excedit, ſi per clamorem, aut famam, ad aures Superioris pervenerit, non quidem a malevolis & maledicis, ſed a providis & honeſtis; nec ſemel tantum, ſed ſæpe, (quod clamor innuit & diffamatio manifeſtat) debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, ut ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tamquam ſit actor & judex, ſed quaſi deferente fama, vel denunciante clamore, officii ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſervandum in ſubditis, diligentius tamen obſervandum eſt in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam: & quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam vero ligare; frequenter odium mulierum incurrunt, & inſidias patiuntur. Ideo ſancti Patres provide ſtatuerunt, ut accuſatio Prælatorum non facile admittatur; ne concuſſis columnis corruat ædificium: niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injuſte, ut tamen caverent, ne delinquerent inſolenter: contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam, videlicet ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis (id eſt degradationem) intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor aſcendat, qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed ex caritatis affectu procedatur: quatenus ſi gravis fuerit exceſſus, etſi non degradetur ab adminiſtratione, tamen amoveatur omnino, quod eſt ſecundum Evangelicam ſententiam, a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. Debet igitur eſſe præſens is, contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit: & exponenda ſunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum. Et non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei, ut quid, & a quo ſit dictum appareat, publicanda. Nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum infamandi, per exceptionum vero excluſionem, deponendi falſum audacia tribuatur. Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos (ut de notoriis exceſſibus taceatur) etſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denunciationem, & inquiſitionem eorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave diſpendium veniatur: ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio; ſic denunciationem caritativa admonitio, & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio prævenire; illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii ſententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum, quæ cum cauſſa requirit, facilius & liberius a ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoveri.* Refertur c. qualiter, de accuſat.

Can. X. *Inter cetera quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum Verbi Dei permaxime noſcitur ſibi eſſe neceſſarium; quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur: eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde cum ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel valetudines corporales, vel hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias, (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo Verbum Dei, maxime per amplas Diœceſes & diffuſas, generali conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi viros idoneos ad Sanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum cum per ſe idem nequiverint, ſollicite viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo; quibus ipſi, cum indiguerint congrue neceſſaria miniſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incœpto. Unde præcipimus tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentiis injungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, diſtrictæ ſubjaceat ultioni.* Refertur in c. inter cetera, de officio jud. ordinar.

16. Can. XI. *Quia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium & opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateranenſi Concilio pia fuit inſtitutione proviſum, ut per unamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ alioſque Scholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium præberetur: quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum quia in multis Eccleſiis id minime obſervatur, nos prædictum roborantes ſtatutum adjicimus: ut non ſolum in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis, quorum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus a Prælato, cum Capitulo, ſeu majori ac ſaniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Eccleſiarum ipſarum & aliarum gratis in Grammaticæ facultate ac aliis inſtruat, juxta poſſe. Sane Metropolitana Eccleſia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in ſacra Pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet Magiſtrorum a Capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo a Metropolitano tantundem: non quod propter hoc efficiatur*

Cano-